B. N. C
FIRENZE
1098
6

Digitized by Google

1036 6

Digitized by Google

Digitized by Google

1098 6

Digitized by Google

JOANNIS. VIGNOLII
EPISTOLA
AD
ANTONIUM. GALLANDIUM. V. C.
DE·NUMMO
IMP· ANTONINI · PII

Qui in tertio ejus conſulatu percuſſus columnam quandam exhibet in cimelio
D. FOUCAULT

ROMAE
Apud FRANCISCUM. GONZAGAM
MDCCIX.
APPROBATIONE. ET. PERMISSU

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONIO. GALLANDIO

Clariſſimo atque eruditiſſimo viro

J. Vignolius. S.D.

EA eſt, humaniſſime Gallandj, tua in omni bonarum literarum genere eruditio, quam ſummo ſtudio & diligentia, atque Aſiatica etiam peregrinatione es conſequutus, ut non ſemel ipſe mecum reputaverim, me quoque aliquem non vulgarem illius quaeſtum facturum, ſi mihi ad amicitiam tuam accedere, deque iis, quae ad ſtudia noſtra pertinent, tecum nonnunquam agere contigiſſet. Quod quidem poſtquam in elegantiſſimas tuas ad Sponium epiſtolas incidi, quae te in Graecis praecipue magiſque reconditis antiquitatibus optime verſatum declarant, majorem in modum deſideravi: ita, ut quanta animi mei jucunditate tuas literas acceperim, quibus quod tantopere optaveram, id modo adeptum me video, ex eo facile poteris exiſtimare. Atque eo magis de hoc mihi laetandum eſt, quod non uno obſervantiae in te meae teſtimonio admonitus ad me ſcribere inſtitueris. Quanti enim te, tuamque doctrinam ipſe faciam, ſemper-

que fecerim, illuſtres, ac praeclarae indolis & eruditionis viros Paullum Bignonium, & Dominicum Paſſionejum, qui mihi nunquam ſine debitae laudis praefatione erunt nominandi, jam tibi abunde ſignificaſſe non dubito.


Verum ut magna ſit humanitas & comitas tua; vereor tamen, ne primum illud officiorum meorum erga te ſpecimen, a quo diſſertatio mea de columna Imp. Antonini Pii, niſi tot maculis, quibus incuria noſtra illam adſperſit, dehoneſtaretur, multum poſſet ob tui etiam nominis mentionem in ea factam commendari, non eam vere gratiam tecum inierit, de qua potius, quam de laudibus, quibus eandem diſſertationem immerenter cumulas, ſpes mihi aliqua fuerat. Nam quominus id gratum acceptumque tibi fuerit, ut ſuſpicer, de rariſſimo, atque adeo ſingulari nummo Fucaltiano noſtrarum opinionum diſſenſio eſt, quae mihi quodammodo ſuadeat.

Scripſeram ego, columnam, quam nummus iſte in tertio Antonini Pii conſulatu percuſſus exhibet, ad eam fortaſſe referri poſſe, quae ſuperioribus annis in Martio campo detecta fuit, quaeque itidem in aliis ejuſdem Imperatoris nummis poſt ejus conſecrationem ſignatis viſitur. Tu vero contra, M. Aurelii columnam cochlidem per eam repraeſentari, hactenus ſentis, ut te non aliter ſentire poſſe, propemodum ſentire videaris. Sed enim tantum tua tibi haec opinio arriſiſſe videtur, ut mecum nedum pri-

privatim per literas, ſed publice etiam ipſius nummi ectypis, in aere inciſa quae vulgaſti, conqueſtus ſis, minus accurate a me nummum editum, neque me omnia rite obſervaſſe, quae illius exemplum Fontanino noſtro V. C. a te miſſum praeſeferebat: atque inter cetera feneſtram illam, inquis (in ea enim tua haec ſententia tota nititur) quae ad turriculam in faſtigio columnae poſitam apparet, praetermiſſam fuiſſe: quod conſulto a me factum ne credas. Nam ſi recte memoria tenes, quam miſiſti nummi iconem, torculari, ut tum credidi, calcaveras, pictoris manu non adhibita, ſed calamo tantum in aliquot locis ſuperinducto. Quo factum eſt, ut linea illa tenuis, quam feneſtram appellas, aut ſcalptoris, cui eandem nummi imaginem aeri caelandam tradidi, oculos fugerit, aut ſi illam vidit, quoddam potius excurrentis calami vitium eſſe putaverit, atque ita neglexerit. Ego quidem certe fateor, tum neque me adeo oculatum fuiſſe, ut minutiora haec perſpicere potuerim, quae vel ipſi caelatori latuerant.

Enimvero cuinam poterat in mentem venire, columnam, quam omni dubio procul ſolidam nummus refert, & quae ſubinde, ad ejus faſtigium ut perveniri poſſit, non eſt intus gradibus pervia, portula ejuſmodi, ſive feneſtra, uti eam vocare mavis, indigere potuiſſe? quum praeſertim quoties antiquis columnam aliquam cochlidem in nummis indicare operae fuit, quemadmodum illam exprimere conſueverint,

verint, Trajani columna in ejus nummis inſculpta tam clare nobis praemonſtret ?



Gyros, ut vides, a ſtylobate ad epiſtylium uſque perductos in ea habemus, atque itidem alia, quae non ſolidam ac nudam, ſed cochlidem illam eſſe aperte declarant.

At vero columna, inquies, quae in nummo Fucaltiano exſtat, haec eadem habere non poteſt, quia quum percuſſus ille fuit, quod, ut patet, ſub initium principatus Antonini Pii contigit, nondum M. Aurelii columna cochlis, quam praeſefert, fuerat anaglyphis inſignita: quae nonniſi poſt Antonini Pii deceſſum, poſtque extremas adverſus Quados & Hermaduros M. Aurelii expeditiones in ea expreſſas addita fuere. Ita tu quidem.

Verum ita nudam interea ſtetiſſe fingamus; ſi ſenatus tamen eam non ſolidam, ſed intus vacuam, & figuris pro more ornandam Antonino Pio decreverat, tum in ea ſum opinione, ut quanvis opus

non

non eſſet ad finem perductum, publici monetarii non aliter illam potuerint in nummis repraeſentare, atque a ſenatu decreta fuerat. Nam quicquid ſecus ſub Paullo V. Pont.Max. ſuperiori ſaeculo evenit, in cujus grandioris formae numiſmatibus, quae ſine principis auctoritate conflari ſolent, Burgheſianum ſacellum, opere adhuc imperfecto, ita expreſſum fuit, ut niſi ex epigraphe in iis appoſita quodammodo ſubaudiretur, dubius profecto eſſes, fabri ne, qui ſuperne ibi agunt, illud aedificent, an potius deſtruant; non ea, opinor, Antonini Pii tempora fuerint, ut monetarii in nummis, qui S. C. nota ſignabantur, arbitratu ſuo ludere poſſent, aut libere quicquam audere, quod decreto ſenatus conſentaneum omnino non eſſet. Cui vero Paulli V. temporibus id ita fieri placuit, adhuc Romae, quod ſciam, imitatorem ſui neminem habuit. Porticum enim Vaticanam ſuis tantummodo lateribus inſignem ſpectamus, quae tamen in Alexandri VII. Pont.Max. numiſmate, uti apud Claudium Molinetum pag. 179. num. VI. poteris ipſe obſervare, numeris omnibus expleta viſitur. Atque, ut cetera omittam, in alio etiam Innocentii XII. Pont. Max. numiſmate, quod hic ob oculos ponam, porticus baſilicae M.Aurelii veſtigium in exercendorum vectigalium curiam converſum cernimus, illudque ſimulacris provinciarum ornatum, quae ibi tamen hactenus deſiderantur.

De



De qua porticu ita Andr.Fulvius lib.II.de antiq.urb., quas ſub Leone X. verſibus etiam eſt perſequutus:

Hic ubi nunc cochlidis patet Antonina columna,
Plurima contiguis tectis veſtigia circum
Ante videbantur, quae nunc ſunt diruta, praeter,
Nunc Antonini quae credita porticus ingens,
Totaque marmoreis ſupereſt ornata columnis:
Sed mutilata tamen.

Quem quidem ritum, aedificia nempe nondum abſoluta, ac ne tum forſan incoepta, integra in nummis repraeſentandi, a veteribus etiam ſervatum fuiſſe, etſi difficile ita eſt, ut nullo pacto demonſtrari poſſe videatur, quum aedificia, quae in antiquis numiſmatibus cernimus, aut ſemiruta habeamus, aut vetuſtate, hominumve incuria deleta omnino perierint, proindeque ea tum ita exſtitiſſe credere oporteat, ut in eisdem nobis expreſſa indicataque fuere; ſi Trajani tamen columnam, quam ſupra in ejus nummo exhibui, inſpexeris iterum, ea tibi non vulgare de hoc teſtimonium praebebit. Ibi nanque ipſius Trajani ſtatua ſupereminens viſitur, quà

tamen,

tamen, ut certo ſcimus, quum numinus fuit cuſus, ipſaque columna in ejus foro erecta, omnino caruit. Erectam autem fuiſſe, quum Trajani Trib. Pot. XVII. decurrebat, quae inchoaverat initio menſis Novembris anni U.C. DCCCLXVI., aerae vulgaris 113. L.Publio Celſo II., C. Clodio Criſpino Coſs., inſcriptio haec ei ſuppoſita diſerte teſtatur.

SENATVS . POPVLVSQVE . ROMANVS
IMP . CAESARI . DIVI . NERVAE . F . NERVAE
TRAIANO . AVG . GERM . DACICO . PONTIF
MAXIMO . TRIB . POT . XVII . COS . VI . P . P
AD . DECLARANDVM . QVANTAE . ALTITVDINIS
MONS . ET . LOCVS . TANTIS . *oper*IBVS . SIT . EGESTVS

At vero ſtatuam poſt ejus mortem ſuperpoſitam columnae fuiſſe, neque ante menſem Auguſtum, quo ſupremum diem obiit, anni nempe U.C. DCCCLXX., aerae Chriſti 117. Quinctio Nigro, T. Vipſiano Aproniano Coſs., qui primus imperii Hadriani fuit, Sex. Aurel. Victor in epitome cap. 13. eſt auctor. *Hujus*, ait, *exuſti corporis cineres relati Romam, humatique* (*Trajani foro*) (quae ex margine credo irrepſerint.) *ſub ejus columna, & imago ſuperpoſita, ſicut triumphantes ſolent, in urbem invecta, ſenatu praeeunte & exercitu*: hoc eſt imago inſtar triumphantium in urbem invecta, atque inde triumphali pompa peracta, columnae ſuperpoſita. Ex

 quo

quo obiter adnotare libeat, id forſan tum moris fuiſſe, triumphantium ſtatuas, illorum ſcilicet, quibus columnae honos publice decernebatur, non antea ſuper columnas elevari, quam celebratus triumphus eſſet: idque uti quandam ipſius triumphi coronidem fuiſſe. Hoc enim ex Appiano etiam deprehendi poſſe videtur, qui lib. v. pag. 746. edit. Pariſ. Henrici Stephani triumphum atque alios honores commemorans, quos Auguſto poſt Siculum bellum, Sextumque Pompejum devictum ſenatus detulit, haec habet: ἐκ δὲ τῶν ἐψηφισμένων τιμῶν ἐδέχετο πομπὴν, ἐτήσιόν τε ἱερομηνίαν εἶναι καθ᾽ ἃς ἡμέρας ἐνίκα, καὶ ἐπινίκιος ἐν ἀγορᾷ χρύσεος ἑστάναι μετὰ σχήματος οὗπερ ἔχων ἐσῆλθε, περικειμένῳ τῷ κίονι νεῶν ἐμβόλων, καὶ ἔστη μὲν ἡ εἰκὼν ἐπιγραφὴν ἔχουσα, ὅτι, ΤΗΝ. ΕΙΡΗΝΗΝ. ΕΣΤΑΣΙΑΣΜΕΝΗΝ. ΕΚ. ΠΟΛΛΟΥ. ΣΥΝΕΣΤΗΣΕ. ΚΑΤΑ. ΤΕ. ΓΗΝ. ΚΑΙ. ΘΑΛΑΣΣΑΝ. Quae ita vertimus: *ex decretis autem honoribus triumphum accepit, & feſtum quotannis eſſe diem victoriae, ac triumphalem in foro ex auro ſtatuam cum veſte, quam, quum fuerat ingreſſus, habebat, columnae navium roſtris circundatae ſuperpoſitam, & ſtetit quidem imago titulum habens:* OB. PACEM POST. DIUTURNA. BELLA. TERRA. MARIQUE. PARTAM. Nam ſi prius, quam Auguſtus urbem intraret, duceretque triumphum, ipſius ſtatua ſuper eandem columnam impoſita fuiſſet, uti Appianus poterat haec adnotare? μετὰ σχήματος οὗπερ ἔχων ἐσῆλθε, illam ſcili-

ſcilicet veſte ei ſimili, quam Auguſtus urbem ingreſſus habebat, obductam fuiſſe? Quae ab ejus interprete praetermiſſa eſſe miror. ita enim hunc locum vertit: *Ex honoribus autem per S.C. oblatis accepit thenſam in Circenſibus, & annua ſolemnia diebus victoriae, auratamque pro roſtris ſtatuam, quae ad veram effigiem expreſſa eſt cum hoc titulo*, ut ſupra. Ubi praeter adnotata vides, eum πομπὴν, quae ad triumphi pompam referri debet, *thenſam in Circenſibus* interpretari: ἐπινίκιος ἐν ἀγορᾷ ἑστάναι, *victorialem in foro ſtare*, non ſatis exponere: χρύσεος *aureus*, pro aurato ſumere: περικειμένῃ τῷ κίονι νεῶν ἐμβόλων, *columnae navium roſtris circundatae*, ſeu *roſtratae*, *pro roſtris* explicare: praeterea καὶ ἔστη μὲν ἡ εἰκὼν ἐπιγραφὴν ἔχουσα, & *ſtetit quidem imago titulum habens*, ita vertere: *quae*, nempe ſtatua, *ad veram effigiem expreſſa eſt cum hoc titulo*.

Sed illuc ut redeam, haud ignoro equidem, non unum Trajani nummum ejus columna ſignatum in cimeliis occurrere, in quo fere nullum figurarum veſtigium appareat. At ſcio etiam, qui artificibus incuriae aut inſcitiae hoc verterit, eſſe neminem; quum in iis tantum, qui ſunt vel temporis vitio detriti, vel longiori hominum uſu conſumpti id obſervare contingat. Hinc parum mea ſententia rei nummariae tironibus Jacobus Oiſelius conſuluit, qui tab. 107. num. 7. quum binos ejuſdem Impera-

 toris

toris nummos attulerit, optime ſervatum unum, ut videtur, qui cochlidem, detritum vero alterum, qui ſolidam nudamque columnam deſignat, ne ullo quidem verbo de hoc, ut oportuit, lectorem monuerit.

Quod vero aegre admodum eſt mihi perſuaſum, id certe enim eſt, quod nempe M. Aurelii columna poſt ſui erectionem figuras, quas in ea inſculptas adſpicimus, per annos triginta novemque exſpectaverit, quot ſiquidem a tertio Antonini Pii conſulatu, in quo nummus Fucaltianus erectam dicatamque fuiſſe te monet, ad M. Aurelii Trib. Pot. XXXII., qua poſtremam de Germanis victoriam reportavit, anni effluxere. Mihi nanque, quod unicuique etiam pro certo haberi arbitror, non eadem, qua cochlis, & qua ſolida columna erigi ſolet, ratio eſſe videtur; quum haec integra, fruſtatim illa, neque prius erigatur, quam ſingulae ſuae partes, quibus conſtat, figuris fuerint exornatae. Quod vel ratio ita ſuadet, ut nemo, qui rem bene expenderit, ſecus poterit exiſtimare.

Nudam vero per tot annos ita ſtetiſſe, ais; nam poſteaquam a ſenatu Antonino Pio dicata fuerat, nihil ab illo geſtum fuit, quod in ea ſculpi dignum videretur. Sed enim fateor, non ea per illum patrata fuiſſe, quae poſtea M. Aurelius in Germania ſtrenue geſſit. At etiamſi verum eſſet, rem nullam propemodum fama dignam, & quae mar-

mori

mori cum laude incidi poſſet, per annos fere tres ac viginti, quos imperavit, illum egiſſe; non ideo facile adducor, ut credam, ſenatui Romano, cui tam proclive erat ſuis principibus adſentari, adulandi materiam tum defuiſſe; quum praeſertim extra omnem adulationis notam tot tantisque modis poterat, ut in nummis pluries fecerat, optimi illius principis gloriam extollere, atque adeo bellicis etiam laudibus illum proſequi, quando hae tantum ad cochlidem columnam exornandam dignae viſae fuiſſent. Nam, quemadmodum Pauſanias tradit in Arcadic. cap. 43. etſi Antoninus Pius, utpote qui nihil aliud, quam pacem antiquius habuit, nemini bellum ultro intulerit; laceſſitus tamen praeclare plurima geſſit, quae non unam tantum ſane poterant columnam inſignem reddere: Ὁ δὲ Ἀντωνῖνος, ait ibi Pauſanias, ὅτῳ καὶ ἐς Παλλαντιεῖς ἐςιν εὐεργέτημα, πολέμον μὲν Ῥωμαίοις ἐθελοντὴς ἐπηγάγετο οὐδένα, πολέμου δὲ ἄρξαντας Μαύρους Λιβύων τῶν αὐτονόμων τὴν μεγίςην μοῖραν Νουμάδας τε ὄντας, καὶ τοσῷδε ἔτι δυςμαχωτέρους τοῦ Σκυθικοῦ γένους, ὅσῳ μὴ ἐπ' ἁμαξῶν, ἐπὶ ἵππων δὲ αὐτοί τε καὶ αἱ γυναῖκες ἠλῶντο, τοὺς μὲν ἐξ ἁπάσης ἐλαύνων τῆς χώρας ἐς τὰ ἔσχατα ἠνάγκασεν ἀναφυγεῖν Λιβύης, ἐπί τε Ἄτλαντα τὸ ὄρος, καὶ ἐς τοὺς πρὸς τῷ Ἄτλαντι ἀνθρώπους. ἀπετέμετο δὲ καὶ τῶν ἐν Βριτανίᾳ Βριγάντων τὴν πολλὴν, ὅτι ἐπεσβαίνειν καὶ οὗτοι σὺν τοῖς ὅπλοις ἦρξαν τὴν Γενουνίαν μοῖραν ὑπηκόους Ῥωμαίων. Quae ita Romulus Amaſaeus: *Hic*

Anto-

Antoninus, qui tam benigne Pallantienſibus fecit, nullius omnino belli gerendi Romanis voluntarius auctor fuit: ſed Mauros Lybium, ſuis legibus viventium, partem maximam vagos & errantes (quippe qui inter Nomadas cenſentur) Scythicis gentibus eo minus expugnabiles, quod non plauſtris, ſed equis cum uxoribus invecti errant: eos ille quum priores bellum moviſſent, finibus pulſos ſuis in ultimas Africae ſolitudines ad Athlantem montem, ejusque montis accolas populos expulit. Brigantibus vero, qui in Britannia ſunt, quod Genuvios populi Romani ſocios armis laceſſierant, magnam agri partem ademit. Quamobrem nummi a ſenatu ei cuſi, ii praecipue, qui cum quadrigis, & epigraphe: VICTORIA. AVG. occurrunt, atque item alii, in quibus victoria volitans Imperatorem ipſum ſedentem coronat: quos ad eandem de Britannis victoriam, ut non te fugit, referunt omnes. Haec eadem vero, atque alia plura Capitolinus de eo memorat in ejus vita, praeſertim cap. 5. *Britannos*, inquit, *per Lollium Urbicum legatum vicit, alio muro caeſpititio ſubmotis barbaris ducto: & Mauros ad pacem poſtulandam coegit. Germanos & Dacos & multas gentes, atque Judaeos rebellantes contudit per praeſides ac legatos. In Achaja etiam, atque Aegypto rebelliones repreſſit. Alanos molientes ſaepe refrenavit*: & cap. 9. *Pacorum regem Ladis dedit: Parthorum regem ab Armenio-*

rum

rum expugnatione ſolis literis repulit. Abgarum regem ex orientis partibus ſola auctoritate deduxit: Rimethalcem in regnum Boſphoranum remiſit: Olbiopolitis contra Tauroſcythas in Pontum auxilia miſit, & Tauroſcythas uſque ad dandos Olbiopolitis obſides vicit. Quae quanvis pleraque per alios adminiſtrata fuerint, quum ea tamen, quae per praeſides ac legatos proſpere feliciterque geri ſolent, ipſi potiſſimum principi, cujus auſpiciis & auctoritate geruntur, tribui ſemper conſueverint, rite idcirco poterant columnae ei decretae conſignari.

Ea tamen erat, ut mihi forſan repones, illius animi moderatio, atque ita longe is aberat ab inſolentia gloriae, ut quae per ſeipſum non agitaverat, ſibi tribui, atque in ſui honorem cedere non ita facile permiſiſſet. Quod credere non morabor. Nanque ex eodem Capitolino probe novi, quam difficilis ille fuerit in iis honoribus acceptandis, qui ſibi a ſenatu deferebantur. Sed eo deducta res eſt, ut exinde neque columnam ipſam, ſi re quidem vera a ſenatu ei vivo decreta fuiſſet, acceptaſſe crediderim; eoque magis id mihi perſuadeo, quod nulla honoris hujus, eximius quanvis, atque adeo opinione omnium ceteris praeſtantior eſſet, ab antiquis ſcriptoribus mentio fiat, a Capitolino praeſertim, qui honores ei non tantum, ſed ejus etiam propinquis a ſenatu delatos, ſingulos recenſere non praetermiſit. Atque inter cetera cap. 5. *Uxorem Fauſtinam*, ait,

ait, *Auguſtam appellari a ſenatu permiſit: Pii appellationem recepit. Patri & matri, atque avis & fratribus jam mortuis ſtatuas decretas libenter accepit. Circenſes natali ſuo dicatos non reſpuit, aliis honoribus refutatis*: cap. 6. *Patris patriae nomen delatum a ſenatu, quod primo diſtulerat, cum ingenti gratiarum actione ſuſcepit*: & cap. 10. *Menſes Septembrem atque Octobrem, Antoninianum atque Fauſtinianum appellandos decrevit ſenatus; ſed id Antoninus reſpuit*. De columna vero per S.C. ei vivo erecta, ſicuti ex nummo Fucaltiano ipſe ſentis, utque mea etiam fuerat dubitatio, ne verbum quidem: niſi fortaſſe putare velimus, inter honores illos alios ab Antonino refutatos eandem eſſe inquirendam. Sed tum quomodo, aut unde praeclarus nummus iſte una cum columna ab Antonino Pio refutata ad nos pervenerit? Id profecto non ita facile adſequi ipſe poteris, ſi illum integrum ac ſincerum eſſe cenſeas. Mihi quidem certe, etſi de eo jam inde ab initio dubitaſſem, tibique tantum, ut par erat, tribuere voluiſſem, ut opinionem tuam meae dubitationi anteponendam eſſe putaverim; modo tamen nullus amplius de illius integritate ſuſpicandi locus relinquitur. Nam quum ex aliis ejus ectypis, quae nuper mecum etiam communicaſti, poteſtatem mihi dederis illum clare magis videndi obſervandique ſane melius, quam ipſe antea non feceram, de manifeſta ejusdem falſitate (pace tua dixerim)

adeo

adeo ſum certus, ut me modo non pudeat aliud prorſus ab iis ſentire, quae cap. 3. meae diſſertationis tuam de illius ſinceritate ſententiam ſequutus jam pervulgavi.


Fortaſſe miraberis, quomodo tam confidenter id affirmari a me poſſit, qui nummum non viderim. At fortis adeo in me eſt, ac tam vehemens ejus falſitatis imago, quae non paucis atque ita levibus, ut auguror, argumentis nititur, ut quaſi illum videre videar. De ipſius antiquitate non eſt profecto, quod dubitem. antiquo enim conflatus eſt aere: Antonini Pii temporibus eſt percuſſus: prioris ejus partis antiqua ſunt omnia: poſterioris etiam antiqua eſt epigraphe: columna vero, quam refert, non item.

Tibi non latet, vir erudite, inter mediocres atque aereos Imperatoris Antonini Pii nummos illum paſſim occurrere, in cujus antica parte circa radiatum, vel laureatum ipſius Imperatoris caput pari modo, atque in Fucaltiano, legitur: ANTONINVS AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III., & in poſtica oblonga quaedam figura mulieris ſtantis cernitur, dextera manu caduceum gerens, ſiniſtra vero olivae ramum praetendens cum eadem epigraphe: FELICITAS AVG. S.C.. Ac tibi notum eſt etiam, in re nummaria praeſertim, id peſſimum genus hominum dari, qui alicujus lucri cauſſa in noſtra non ſolum Italia, verum apud vos etiam, ſuis malis artibus veteris hiſtoriae fidem impediunt, ac nedum tironibus, ſed

C &

& ipſis emeritis jam antiquitatis amatoribus ita interdum imponunt, ut niſi oculatiſſimi hi ſint, vix, aut ne vix quidem illorum fraudes dignoſcere queant. Quod ſi exemplis, quae bene multa apud antiquarios occurrunt, & quae non pauca Carolus Patinus in notis ad Suetonium congeſſit, conſectari mens eſſet, jam non epiſtolam, ſed librum, quodque tibi atque eruditis viris aliis omnibus eſt notiſſimum, proinde facerem. Id ipſum vero nobis interveniſſe, ita mihi certum eſt & indubitatum, ut non aliud ſane magis. Neque enim callido vafroque artifici plurimum negotii faceſſitum fuiſſe autumo, proceram illam Felicitatis imaginem in columnam vertere, ei brachia, & quae debitum columnae ſpatium excedere poterant, ſcalpro, ut fecit, eliminando, praeſertim, ſi nummus viridem a terra nactus fuerit ſuperficiem, quae, ut acrior ceteris, metallum ipſum, cui adhaereſcit, diuturno annorum ſpatio ita penetrat & conficit, ut illud, paullatim minimis ſuis particulis diſſolutis, molleſcat ac friabile fiat, & in calcem abeat aliquando. Hanc autem falſarii artem fuiſſe, ſi nummum ipſum Fucaltianum cum legitimo quos hic ſubjicimus, conferre velis, ſic tibi fiet manifeſtum, ut in poſterum illius falſitatem revocare in dubium non poſſis.

Novam



Novam, atque, ut puto, a nemine antea inſpectam metamorphoſin vides, Deam ſcilicet, ut ab Ethnicis Felicitas habebatur, apud quos, ut ait S. Auguſtinus lib. 4. de Civit. Dei cap. 18., *aedem accepit, aram meruit, ſacra ei congrua perſoluta ſunt*, in columnam converſam. Cui quodammodo aptari poſſe quum videantur, quae de Niobe Ovidius habuit lib. 6. Met., ea recitare non gravabor:

— nullos movet aura capillos.
In vultu color eſt ſine ſanguine: lumina maeſtis
Stant immota genis: nihil eſt in imagine vivi.
Ipſa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, & venae deſiſtunt poſſe moveri.
Nec flecti cervix, nec brachia reddere geſtus,
Nec pes ire poteſt. intra quoque viſcera ſaxum eſt.

Quanto ſatius profecto ſibi fuiſſet, ſi navis Praetoriae formam, quam ſub Hadriano aliquando acceperat, non tam ſubito depoſuiſſet, ſed ſub Antonino quoque ſervaſſet! Tum ſiquidem non ei pulchram oris ſpeciem, non decorum corporis cultum, non oleae ramum, non Mercurii virgulam, quibus pacem, & proſperitatem rerumque omnium copiam non minus promittebat, quam quum navis erat, falſarius ille improbus invidiſſet. Qui vero ut aſtutiſſimus fuerit, ſuas tamen artes non ita potuit obtegere, ut fraudis, imperitiaeque ipſius aliquid non inde appareret. Nummus enim iſte examini ſubjectus, quas injurias & plagas ab eo acceperit, jam palam faciet.

I. Averſae ejus partis titulus, a quo falſarius ſceleſtas manus abſtinuit, quicquid ego, vi quadam eidem titulo facta, jam ſecus in diſſertatione mea ſenſeram, quam appoſite poſſit columnae accommodari, re modo melius perſpecta, non video equidem. Nam tametſi Felicitas varie fuerit ab antiquis adumbrata, nuſquam tamen vetuſtum aliquod monumen-

mentum adhuc mihi ſeſe obtulit, quod columnam tanquam illius ſymbolum exceperit. Immo plures ipſius etiam Antonini Pii nummi contrarium omnino demonſtrant, ii nimirum, in quibus columna aliqua ad felicitatis firmitatem ſecuritatemque deſignandam expreſſa fuit cum hoc titulo: FELIC. SAECVLI. Haec etenim ſi per eandem columnam commode indicari potuiſſet, mulier ibi huic noſtrae Felicitati ſimilis ſiniſtro cubito ipſi columnae innixa, quae pariter pacis & abundantiae ſymbola manibus geſtat, otioſa prorſus eſſet. Quodnam praeterea felicitatis genus potuiſſent Romani a marmorea ejusmodi columna auſpicari, fingenti mihi nullum occurrit; dummodo manalem illum lapidem eam fuiſſe dici non debeat, a quo, ut Feſtus prodidit, in maxima terrae ſiccitate per portam Capenam in urbem protracto, gens mire ſuperſtitionibus dedita pluviam petere, atque exſpectare ſolebat.

II. Si ſpatium illud a columnae faſtigio ad nummi ambitum ductum metiri velis, quod oculis poteris peragere, aliud tibi non deerit evidens ejus falſitatis indicium. Comperies enim, quam quidem late magis pateat dextra, quam ſiniſtra, atque eo ſane amplius, ut caduceo etiam, quod in legitimo nummo priori literae e regione ipſius poſitae pari linea reſpondet, locus interdum fuiſſe videatur. Quae vero ſpatii inaequalitas ob ipſum caduceum a falſario eraſum quum minus oculis arrideat, neque mirari

propte-

propterea debes, ſi ſcalptor, qui mihi illius exemplum in aere incidit, aequò hinc inde ſpatio literas diſtribuens perite ſcienterque magis, quam ille ſe geſſerit.

III. Neque minus certa nummi falſitas ex ea poterit feneſtra deprehendi, quam ipſe tanti fieri putas. Nam praeterquamquod ſolida columna, qualem eam ſubdolus ille in nummo confinxit, feneſtra non egeat, ut diximus ſupra; ſi tamen ea mente fuerat, dum ejusmodi columnam commentus eſt, ut per eandem M. Aurelii columna cochlis repraeſentari poſſet, cur turriculam illiusque feneſtram tantum, non item alia potius certiora indubitataque magis cochlidis indicia, ut in Trajani nummis factum fuit, eſt ab ea mutuatus? aut ſi tantum ſibi feneſtrae ſtudium, cur non aliquam ſaltem ex iis, quas amplius ſeptuaginta columnae ſcapus habuit ſemper, aut quae magis late patet, inferiorem januam non expreſſit? quum haec praeſertim Trajani columnae exemplo veterem urbem ad meridiem reſpiciens in nobiliori occurrat ſtylobatis facie, quae mihi in nummis potiſſimum exhibenda videtur: portula vero illa ſuperior, ſive feneſtra, fere occidentali ejus angulo immineat, ut ſi ipſius ſtylobatis averſam propemodum partem e longinquo non ſpectes, aegre poteris illam ſuſpicere? Porro qui Trajani nummos cum ipſius columna antiquitus inciderunt, non videntur tantum de hac feneſtra fuiſſe ſolicitos, quan-

quantum falſarius hic ſane fuit. Ii etenim feneſtram hanc non modo, verum etiam turriculam ipſam, in qua illa patens exſtat, propterea quod aeneis cancellis, ut ipſi nummi oſtendunt, circundata ſepiebatur, in iis exprimere praetermiſerunt.

IV. Unum autem longe omnium certiſſimum hujus falſarii imperitiae nummique falſitatis ſpecimen eſt, quod nulla ſtatuae Imperatoris ratio habita ab eo ſit, quae quidem magna oportuit illic haberi. Propterea quod nulla, ut arbitror, columna in nummis uſquam occurrit, cui vel ſtatua, vel aliquid aliud ſuper eam ſtatutum non ſit, quod, ut muneris eſt ſui, ſubſtentare non videatur, niſi cum Morellio, & Mediobarbo decipi velimus, quorum unus rotundam aram accenſam in nummo Cari cum epigraphe: ΑΦΙΕΡΩCIC: alter vero grandiorem I literam, quae in area nummorum aliquot Byzantinorum perſaepe obſervatur, columnam exiſtimavit. Impoſtor ille quicunque fuerit, qui Trajani nummum cum ſolida columna a Seguino editum fabricavit, recte magis rei ſuae conſuluit; nanque illius faſtigio ſuperpoſita conſpicitur, ſi non aliud, noctua ſaltem.


Mihi praeterea, quod idem te, atque adeo unumquemque mecum facturum fore cenſeo, nihil aliud honorariae columnae eſſe videntur, niſi baſes quaedam communibus baſibus altiores, in quibus triumphantium virorum imagines collocari coeptum,

ptum, ut indicium eſſet, ſicuti ait Plinius lib. 34. cap. 6., atque adeo ut ipſa ratio docet, altius illos *ſupra ceteros mortales attolli*. Atqui nusquam legi, baſin, cujus eadem eſt, & columnae ratio, alicui poſitam, quin vel ſtatuam, vel aliquod aliud ſignum cum ea poſitum fuiſſe aut dicatur, aut intelligi detur, uti ex Grutero, Reineſio, Fabretto, ceterisque aliis veterum monumentorum collectoribus, atque ex ipſis etiam antiquis ſcriptoribus te jam animadvertiſſe non diffido, qui, ſi probe memini, quoties aliquam de columnis in honorem illuſtrium virorum poſitis mentionem fecere, ſtatuam ſimul cum columna eisdem poſitam diſerte ut plurimum indicavere. Atque ut Appianum praeteream, & Victorem, quos Auguſti, & Trajani columnas deſcribentes adduximus ſupra, Suetonius in Galba cap. 23. *Senatus*, ait, *ut primum licitum fuit, ſtatuam ei decreverat roſtratae columnae ſuperſtantem in parte fori, qua trucidatus eſt*. Trebellius Pollio in vita Claudii Gothici cap. 3. *Illi totius orbis judicio in roſtris poſita eſt columna, ſtatua palmata ſuperfixa librarum argenti mille quingentarum*. Quae antiquiſſimis item Romanae reipublicae temporibus C. Minucio Augurino à populo conſtituta fuit, ſtatua ipſius non caruiſſe, quum duplex ejus gentis denarius, tum Plinius teſtantur. Hic lib. 18. cap. 3. *Minucius*, inquit, *Augurinus, qui Sp. Melium coarguerat farris pretium in trinis nundinis ad aſſem*

rede-

redegit undecimus plebei Tribunus: qua de cauſſa ſtatua ei extra portam Trigeminam a populo ſtipe collata ſtatuta eſt. Quae praeterea iuſſu Hadriani Nicaeenſes prae ceteris L. Aelio Caeſari erexerunt, neque ſtatua ejusdem coloſſea deſtitutam fuiſſe nummus alius, quem ex celebri eodem cimelio Fucaltiano abs te quaeſitum edidi, ipſique Aelio Caeſari adſerui, jam ſatis demonſtrat. Ita pariter Antonini Pii ſtatua, quae columnae in Martio campo re quidem vera ei erectae, & ab M. Aurelio, & L. Vero Augg. dicatae ſuperſtabat, etſi ob temporum barbariem, hominumque avaritiam ad nos non pervenerit; attamen in ejus conſecrationis nummis abunde apparet.

Quoties vero de Antonini Pii ſtatua ſermo hic rediit, me tibi rem non ingratam facturum arbitror, ſi tecum nummi ectypa communicavero, quem poſt editam a me diſſertationem de illius columna mei juris feci. In eo enim conſecrati Imperatoris ſtatua non nuda, ſed more triumphantium militari habitu ornata, & victoriolam dextera manu gerens ſeſe offert: quod in ejus aliis id genus nummis haud credo inſpexeris.



Neque vero ipſi demum M. Aurelii columnae cochlidi ejus ſtatua defuit. Quanvis enim nummos cum hoc typo nullos hactenus habeamus, qui aliter opinantibus, ſi qui ſunt, pleniorem de eo fidem faciant; ex veteri tamen turricula, quae Sixti V. Pont. Max. juſſu ſtatua ſancti Paulli decorata etiamnum ſupereſt, atque unde falſarius noſter turriculam forſan illam cum feneſtra mutuatus eſt ſuam, id manifeſtum redditur.

Ex his itaque abunde pateat, honorarias id genus columnas omnes ſtatuis illorum, quibus poſitae erant, ornatas fuiſſe. Quo quidem ſpectat, quod in veteri apud juriſconſultos proverbio eſt, *circa columnas ſe occultare*: quod de ipſis principum ſtatuis ſuper columnas in foro poſitis, ad quas, ut creditorum moleſtias declinarent, tutiſſimum debitoribus confugium erat, ſolet exponi. Quocirca Alciat. lib.4. cap.27. parergon juris: *Ad haſce*, inquit, *columnas, ſicut ad ſtatuas ſecuri ita accurrebant obae-*

Digitized by Google

obaerati: & Cujacius ad legem *Fulcinius* lib. 1. cap. 13. *Circa ſtatuas igitur & columnas in foro qui ſe occultant, ut occurſum creditorum effugiant, videntur latitare*. Neque dicendum eſt, idem evenire hic potuiſſe, quod de ſtatua Trajani obſervatum a me fuit; hoc eſt, Antonini Pii ſtatuam, ut columnae ſuperponeretur, triumphum ejus aliquem exſpectaſſe. Ad haec enim illud idem reponam, quod ſupra, in nummis nempe una cum columna & ſtatuam nihilominus exhibendam fuiſſe, quemadmodum in nummis Trajani eo uſque factum eſſe videmus, ut ſi non ipſe Trajanus poſt mortem, ſed Hadrianus de Dacis triumphaſſet, uti ſenatus ſententiam exſtitiſſe, Spartianus prodidit in Hadriano cap. 6., ubi haec: *Quum triumphum ei ſenatus, qui Trajano debitus erat, detuliſſet, recuſavit ipſe, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, ut optimus Imperator ne poſt mortem quidem triumphi amitteret dignitatem*: atque inde ſi columna etiam, quae quanvis alia de cauſſa erecta, pro eodem triumpho parata erat, non Trajani, ſed triumphalem Hadriani ſtatuam poſt triumphi pompam excepiſſet; adhuc tamen Trajani imago ſuper eam impoſita in nummis haberetur; utpote quae circiter quatuor annos poſt columnae ſuperpoſita, quam nummi iidem percuſſi fuere. Atque eo quidem magis in nummis Antonini Pii id fieri poterat, cujus de Britannis triumphus remotus non ita erat,

 quum

quum in eodem conſulatu, in quo nummus Fucaltianus fuit percuſſus, ipſum Antoninum Britannicum triumphum ducentem in nummis adſpicimus: ad quem quidem triumphum ejus triumphalem imaginem, quae in ſuperiori muſei noſtri nummo ſuper ipſius columna ſtatuta viſitur, reſpectum aliquem habere poſſe opinamur.

V. Alia denique non minus certa Fucaltiani nummi falſitatis nota, qua quum ſincerus fiet, ſe ſe potiſſimum gloriari poterit, ea mihi eſſe videtur, quod toto orbe ſingularis atque unicus ſit. Quippe id ipſum, quod alias vere illum commendare maxime poterat; cum tot aliis tamen ejus falſitatis indiciis concurrens, ea ipſa indicia auget, omneque ei ſingularis raritatis pretium adimit.

Haec habui de nummo iſto, vir eximie, quae dicerem, atque alia forſan mihi dicenda eſſent, ſi reapſe illum ſub oculos haberem: quae tuae propterea diligentiae conjecturaeque committo.

De quo vero ſatis erit a me dictum, ſi hoc unum ſubſcribam, quod etſi nemo antea animadverterat, ſatis tamen a me in diſſertatione illa mea probatum putaveram: columnam hanc ſcilicet M. Aurelii neque Antonini Pii, neque ipſius M. Aurelii tempora vidiſſe; quippe quae inter ceteros honores, quibus ſenatus ejusdem M. Aurelii conſecrationem fuit proſequutus, recenſeri omnino debeat. Id enim Sex. Aurelii Victoris auctoritate etiam tum demonſtravi,

ſtravi, qui in ejus vita cap. 16. haec refert: *Denique ſejuncti in aliis patres, ac vulgus ſoli* (M.Aurelio) *omnia decrevere, templa*, COLUMNAE, *ſacerdotes*: & in epitome: *Ob cujus honorem templa*, COLUMNAE, *multaque alia decreta ſunt*. His vero & Bernardi Gamucii Romani architecti teſtimonium in hanc rem minime contemnendum addidi, qui anno 1655. de Romanis antiquitatibus libros quatuor Italico idiomate ſcripſit. Is etenim vetuſtum hujus columnae ſtylobaten, antequam a Sixto V. novo marmore obduceretur, ſuis ipſe oculis vidit, ibique M.Aurelii, non Antonini Pii effigiem ſe inſpexiſſe teſtatur, legiſſeque in una parte: CONSECRATIO, & in altera: DIVO. ANTONINO. AVG. PIO, hoc eſt, M.Aurelio: unde antiquariorum natus eſt error, qui horum principum cognata nomina non animadvertentes, illam ſeniori Antonino Pio adſignarunt, eandemque prorſus cum illa, ſolida quanvis, quae in ejus nummis conſpicitur, eſſe putarunt. Quo & ipſe impoſtor hic noſter, communi eorundem antiquariorum errore ductus, ſolidam Antonini Pii columnam cum cochlide M. Aurelii, quod turriculam nempe ac praealtum ipſius ſtylobaten ſpectat, intermiſcens, monſtrum iſtud, novum ſcilicet columnae genus, excogitavit.

Quod item, vir clariſſime, reliquum eſt, tibi ex his exploratum omnino ſit, me non animo tua quae ſunt improbandi, quae quidem ſummo in honore

nore habeo, ſtilo forſan prolixiori, quam pro ſui tenuitate res ipſa expoſcere, noſtraeque occupationes pati videbantur, me adnotaſſe. Nam non is ego, qui ad contentioſum illud genus hominum vitiligatorum accedam; a quo vehementer abhorreo, ſemperque alieniſſimus fui. At quoniam apertum nunc eſt ac perſpicuum, quod dubium antea incertumque mihi fuerat, propterea, ut egomet me corrigerem, meas eſſe partes id ita facere putavi. Eoque magis, ut qui nummi iſtius ectypa a te in vulgus jam pervulgata viderint, quibus nempe uti feneſtrae illius a me praeteritae, nec ſalutatae reus expoſtulor, ubi etiam intellexerint, qui noſter in eo animus fuerit, ac de cujus nummi feneſtra agatur, me hac, ut ſpero, culpa ſolutum dimittant.

Vale igitur, & quae hoc a me conſilio ſcripta ſunt, fac bonas in partes, & in mei potiſſimum excuſationem pro animi tui candore accipias, meque ſimul, quod honori meo deputo, ut facere coepiſti, amare pergas, atque in iis habeas, qui te maxime colunt, & abs te amari cupiunt ſane plurimum.

Romae XVI. Kal. Februarias MDCCIX.

99 960202

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ALLEGRI LABORAT RESTAURO LIBRI PARMA

Digitized by Google